nanti Jupiter (Juno), unde fugiens dum in Lyciam venisset sitim passa, ad locum quendam Lyciae se contulit, ut biberet, quam cum vidissent rustici, confestim lacum intraverunt turbantes aquam pedibus; cum autem Latona deos pro vindicta exoraret, mutati sunt rustici in ranas perpetuo coaxantes. E contra lacus quidam (est) Seriphus dictus, repletus ranis, quae tamen numquam coaxant, sed ad alias aquas deportati clamosae sunt. De praefata Latona vide infra Fol. 144 b.

Insuper antiquum fuisse regnum Lyciam veterum historiae tradunt, nam Bellerophon juvenis a Pritone Argivorum missus fuit ad regem Lyciae Ariobatum cum litteris proditoriis, ut occideretur, sicut Vrias, pro eo, quod ipsius Priti regis uxorem Antinam amaverat, quae erat filia regis Lyciae. Ariobatus ergo lectis litteris noluit eum per se occidere, sed misit eum ad Chimaeram, ut ab ea occideretur. Erat autem Chimaera monstrum Lyciis infestum, igneum habens caput, pectus leoninum, caprinum ventrem et crura serpentis. Bellerophon autem equo Pegaso pennato assumto evolavit ad illam atque occidit. Inde missus ad Solimissos eos etiam prostravit. Tertio contra Amazonas, quae Lyciam infestabant, missus in proprias sedes redire coëgit, et ita vitam suam redemit et filiam regis obtinuit et regnum Lyciae possedit. Haec fictio de Chimaera aliquid significat, sicut omnes poeticae fictiones. Ut ergo videant laici, quod Chimaera aliquid sit, sciendum, quod in Lycia est mons, Chimaera dictus, Carinam regionem a Lycia disterminans; hujus quidem summitates perpetuis flagrabant flammis, quae augentur aqua infusa, terra vero injecta extinguuntur, demum paululum inferius alit leones, inde infra capras, et radices ejus sunt serpentium plenissimae. Ad hunc montem purgandum misit Ariobatum juvenem putans, esse impossibile eum cum vita evadere, sed omnia vicit et montem habitabilem reddidit; ideo dicitur Chimaeram vicisse. Hunc montem aliqui nominant Cadinum, ut supra patet.

Ende

Anfang

Sic etiam, quod supra dictum est de rusticis mutatis in ranas, non est aliud, nisi quod quondam Delones cum Rhodiis erant congressuri, et dum Delones vellent bibere in Lycia de lacu, prohibiti sunt a rusticis, quos omnes Delones interfecerunt rusticos, et in lacum corpora projecerunt, et cum (b) amici interfectorum

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;